

minum atq; inclinationem, sed hōc vel illō modō concurreret, fusq; deq; habitā voce Apostoli, & velle & perficere supremam largiri virtutem, magnō conatū inculcantis.

§. 8.

Sic etiam Sapiētia castigatur ā filiis degeneris: quandoquidem nota est impudentia Regis illius Hispaniæ, Alphonsi X. sæpius dicere soliti, si ipse adstitisset DEO mundum creanti, consiliō se haud parū suō adjuturum fuisse, ut multa aliter melioraq; conderet. Nec desunt, qvi curiosē nimis disquirere minūs erubere; Num DEUS possit facere melius, quod fecit, quāmodo fecit? imō & Problema affirmare: prout Thomæ placuit itemq; Scaligero asserenti: *Sine ullā vel dubitatione vel cunctatione respondere etiam tironem cælestis Philosophiæ sic, potuit, potest, poterit: additā, post multa, hac limitatione, sed nolle posse, quia seipsum argueret imperfectionis operæ, quam in priore opere posuisset.* Annon verō id ipsum infinitæ præjudicet Sapiētiæ, judicent alii? nonnulli tamen sic corrigunt, ut de Objecto tantū potissimū, non Subjectō, nec agendi modō interpretentur, cū non involvat repugnantiam, dari creaturas tam quoad essentiam, quā accidentia præprimis & qualitates nobiliores. Spe timore conjunctā ferri DEUM in bonum futurum, Arminiani garriunt, & omnium penē errorum comes individuus Vorstius: Quō vix quicquam magis contrariatur Sapiētiæ, ipsiq; Orbis Rectori, in quem nulli cadunt affectus, formido nulla, nihil ipsi est inopinatum. Quāquam enim multa subinde ingruant mala, minimē tamen præter spem DEO accidunt, quin omnium potiūs prænoverit eventus, eāq; certā ratione fieri permiserit, vel ex justitiā vindicatrice vel causis aliis, utut à priori nos latentibus, ita tamen, ut vel tandem exinde etiam pro ineffabili Sapiētiā aliquid boni eliciat.

§. 9.

Omnipotentem esse DEUM multi haud credidēre Ethnici: & ridiculam quidem nonnulli supponunt rationem, quia mori ne-